

60

Et sane si DEUS ratione essentiae suæ est tantum in cœlo, se-
quitur unionem inter humanam & divinam naturam Chri-
sti eō tempore quō Christus in his terris versabatur, nullam
fuisse, & fuisse falsum, quod Apostolus ait: DEUM manife-
stum esse in carne; Si enim in cœlō tantum est, quomodo es-
sentialia ejus in terris esse & in uterō virginis Mariæ humanam
naturam assumere potuit? Nec ex DEI omnipræsentia ori-
tur indecentia. Sicut enim non indecorum est DEO, ipsius
omnia, maxima, media, minima creasse, ita neque eidem e-
rit indecorum atque inhonestum, omnibus creatis præsen-
tiâ suâ adesse.

§. 13. Objicis (2.) omnium populorum consensum:
ad cœlum enim elevaniius, & manus, & animum, & oculos,
quoties cum precibus nostris ad DEUM assurgere conamur,
atque ita fatemur, DEUM in cœlis habitare. Resp. Ex-
inde nihil aliud sequitur, quam DEUM esse in cœlō; quod
autem plerique populi orantes manus & oculos ad cœlum
elevant, id ideo fit, quia DEUS sæpius de cœlō per effectus
varios sese manifestavit. Sic Judæi orantes ad civitatem san-
ctam se convertebant, ex quō tamen non sequitur, DEUM
in solâ civitate sanctâ fuisse præsentem. Hinc à gentium
consuetudine in oratione usitata, ad negandam DEI ubiqüi-
tatem collectio est infirma, neque satis constat, quod hæc o-
mnium gentium consuetudo sit.

§. 14. Objicis (3.) Si DEUS secundum totam essen-
tiam in re quâlibet etiam minimâ, in antrō Scarabæi sub-
stantialiter adest, sequitur amplissimam Dei essentiam in an-
gustum cogi & ex maximō effici minimum. Sed hoc est ab-
absurdum E. & illud. Resp. Quis sanus affirmabit, essen-
tiam divinam tam esse impotentem, ut se à creaturâ patia-
tur constringi, aut in angustum cogi. Atque αὐλογία est
in consequentiâ: non sequitur: DEUS est in templō, cœ-
lō: Er-